

dicitur, ibi asseritur communicatio: at in sacris dicitur divina natura infinita dona dare humanitati, *Dan. 7. Matth. 28.* & humanitas accipere, *Apoc. 5. v. 12.* Ergo hæc communicatio in sacris asseritur.

51. Minor est manifesta. Pia enim antiquitas de hoc communicationis gradu hanc immotam custodivit regulam ex *Ioh. 5. v. 25.* & seqq. *Quæcumq; CHRISTO in tempore data leguntur, ea de humanitate CHRISTI (nisi in Arii castra transire libeat) intelligenda esse, licet alia determinatio adjecta non sit.*

52. Tertiò, cui data est Maiestas & gloria æterna, nomen quoq; super omne nomen, & qui exaltatus sedet ad ipsam virtutis & potentiaæ divinæ dextram; illi communicata sunt increata, divina & infinita *ἀωχίματα*: quæ maior fuit ex præcedente argumento. Ut enim relatum esse nequit sine correlato: ita neq; datio esse quit sine acceptione. Iam subsumimus: At *CHRISTO* secundum humanam naturam est data maiestas & gloria æterna, &c. *Job. 17. v. 5. Phil. 2. v. 9. Eph. 1. v. 20. & 21. Marc. 16. v. 19. Actor. 2. v. 33. & seqq. Ergo.*

53. Nec est, quòd hîc excipiant, dationem illam intelligendam esse Personæ respectu. Quandoquidem Persona non est *ἐξ ἑτέρων ἑτερόντι*, & aliquid distinctum à naturis, nisi forsan Eutycheismū asserere placeat. Dicimus igitur & nos, quòd datio illa ad Personam Christi pertineat; verum responsio illa & assertio insufficientis adhuc & confusa est. Quocirca explicanda & magis limitanda, distincte q; asserendū, an datio illa terminetur in utraq; Christi naturâ; an verò tantum in alterutrâ.

54. Hîc non nos, sed totus piorum Patrum chòrus respondet & clamat: quòd neq; ad utramq; neq; ad divinam naturam pertineat illa datio; sed ad humanam; juxta regulâ toti antiquitati approbatâ & modò thesi 51. allegatam.

3.

Datio omnium potentis non static non est intelligenda personæ respectu.

55.